



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

2 Abbas priuilegiatus mytra, & baculo, quosnam praecedat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

offic. ord. inquirere tamen non potest contra aliquem particularem nisi per talem generalem inquisitionem fuerit notatus, vel nisi præcedentem saltem fama iudicialiter contra illum probata coram ipso; cap. qualiter & quando, 2. de accusat. unde nec debet, nec potest index inquirere contra actorem de usura in contractu commissa, ex officio, ob id solum, quod petat executionem instrumenti, quo alter se ei obligavit ad restituendum centum mutuo accepta, & quinque pro interesse pro tempore, in quod illa accepit, cum per præsentationem talis instrumenti nõ confitet ei notorie, neque per famam, de tali usura; quandoquidem licet mutuant & mutuatario a principio super interesse probabili convenire, ut ait Nau. in Man. cap. 17. no. 111. præterquam de interesse Cambiorum, propter no-
tam Pij V. prohibitionem in bulla qua incipit. In eam, edita anno 1570. Constit. 148.

TITVLVS XX.

De Maioritate & obedientia.

S V M M A R I V M.

- 1 Dignitas, Episcopalis decorata, alijs eiusdem nominis maior.
- 2 Abbas privilegiatus mytra, & baculo, quosnam præcedat.
- 3 Vicarius Episcopi, de iure omnes præter episcopum præcedit, quamvis contraria consuetudo prævalere possit.
- 4 Prior Collegiatus, quando Canonicus Cathedralis præcedat.
- 5 Exorcismos arreptitorium, inferior a Papa prohibere non potest.

DECISIO I.

Ex cons. 1. alias 5.

Præpositus Ecclesiæ collegiatae post alias collegiatae erectæ cui postea a Papa insignia Pontificalia, & facultates conferendi primæ tonsuram, Benedicendi, & alia ad Pontificiam dignitatem spectantia, conferuntur, licet in processibus conventualiter cum suo Capitulo, & conventu simul incedens, post alios Præpositos ecclesiarum collegiarum prius erectarum, stare, & sedere debeat: in actibus tamen extra processiones, & separatis a Capitulo, seu conventu, in quibus vitur insignibus episcopalibus, alios omnes Præpositos etiam prius institutos, qui talibus insignibus uti non possunt, præcedere debet; Cum inter dignitates eiusdem rationis, & ordinis censenda sit maior alijs illa, & maiori honore digna, quæ insignibus episcopalibus est decorata, quam alia similis, eis destituta, cap. Apostolicæ, de privilegijs, & maioritas dignitatis præponderat prioritati promotionis: cap. Placuit, §. Isidorus, d. 16. qua ratione episcopus factus Archiepiscopus præcedit episcopum ante ipsum factum Episcopum; & Canonicus factus Archidiaconus, vel alia dignitate præditus, alium prius factum Canonicum præcedit.

DECISIO II.

Ex cons. 1. alias 3.

Abbas privilegiatus, ut mytra, baculo, & alijs insignibus episcopalibus uti possit, carens autem collegio Monachorum; Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis, & alia dignitates episcopo inferiori præcedere debet, Capitulum autem Ecclesiæ Cathedralis collegialiter sedens, vel incedens, non præcedit.

DECISIO III.

Ex cons. 3. alias 1.

Vicarius Generalis episcopi, etiam si sit vnus de Capitulo, quamvis iure communi attentio omnes præter episcopum, tam absentes, quam præsentem Episcopum, cuius est Vicarius præcedat, de consuetudine tamen contraria, quæ & rationalis est, & in præscriptione fundatur, omnes antiquiores in promotione, Vicarium Episcopi

pi præcedunt: consuetudo autem rationalis præscripta, contra quodcumque ius humanum valet, cap. fin. de consuetud. Immo & Archidiaconus, sius Decanus, & Præfatus, ipsum etiam Episcopum suum præcedit, quando ut Canonicus, capitulo interest. gloss. in cap. collatione, de appellat. in 6. & communis in cap. Ecclesia, de præbend. in 6.

[Panorm. cons. 21. primæ partis. Felyn. in capitu. statutus, colum. 1. de maioritate & obedient. volunt Vicarium præcedere debere non obstante consuetudine in contrarium.]

DECISIO IV.

Ex cons. 4. in versibus.

Prior Ecclesiæ Collegiatae, qui etiam est Protonotarius, & Doctor, Viriisque, iur. & etiam Canonicus Ecclesiæ Cathedralis eiusdem civitatis, in qua est illa Ecclesia collegiata, quamvis Canonicos & dignitates Ecclesiæ Cathedralis, eiusmodi qualitates non habentes, temporibus, & locis, in quibus non sedent, aut incedunt collegialiter, sed singulariter tantum, præcedit; Canonicis tamen eiusdem Ecclesiæ Cathedralis collegialiter manentibus, vel incedentibus, stare, sedere, vel incedere debet in eo loco, in quo deberet, si non esset Prælatus, nec Prior Ecclesiæ Collegiatae, nec Protonotarius, nec Doctor; quia Canonicus habens maiorem dignitatem, vel qualitatem, quam alij Canonici cum manet inter eos collegialiter congregatus, ut Canonicus in loco, qui ei competit ut Canonico, manere debet, cap. Postulatis, de concessio. præbend. Domin. & Francus in cap. collatione de appellat. in 6. Sicut etiam Abbas Monasterij Capitalum Ecclesiæ Cathedralis manens, vel sedens collegialiter non præcedit quamvis eos qui sunt Capituli, siue sint Canonici, siue dignitates cum singulariter manent, vel incedunt, præcedit, cap. decernimus, de iudic. & Panormitan. & Decibidem.

DECISIO V.

Ex cons. 5. alias 6. de officio iud. ordin.

Quamvis exorcismus præcedens baptismum per rationabilem consuetudinem solis Sacerdotibus baptizaturis reservatus sit, ut ait S. Thom. 4. dist. 6. q. 2. art. 3. quæst. 3. Arreptitorium tamen, seu a demonijs obsessorum exorcismus ad solos Sacerdotes, saltem ab infirmitate Papa restringi non potest, cum Christiani omnes iure Divino potestatem eiicendi Demonia, & ea increpatorie adiriandi habere videantur, ut patet ex illo Marci, 16. quam inferior Papa tollere nequit, argumen. cap. 2. de Maior. & obed. imò nec ipse Papa in totum saltem sine iusta causa, c. Sunt quidam 25. quæst. 1. & Inno. in cap. cum ecclesia, de constitut. potest tamen episcopus, ne quis in ordinatæ, ac immodestè huiusmodi potestate utatur, statueret; immo etiam eos ad aliquas ceremonias in exorcizandis servandas restringere potest.

TITVLVS XXI.

DE Pactis.

S V M M A R I V M.

- 1 Præstationes immemorales, quæ debita, vel in debita præsumantur.
- 2 Promissio legitima sine metu, & dolo facta, servanda.
- 3 Dux Militum numerum minorem conducens, vel aliqua pretio introducens, iniuste acceptum restituere tenetur.
- 4 Matrimonium apud infideles validè contractum per baptismum non dissolvitur.
- 5 Regularis simplex, nisi de superioris sui licentia obligari nequit.
- 6 Debitor, si ad pinguiorem fortunam perveniat, minori parti, quæ recusavit debita sua remittere, restituere non tenetur.

C 2 DE.